

LESEN
124



Cc 432

1) Kuesbeck, Thomsen, Humpo
et Latinius

ms. 24 - 18]

Cc 432^a (1-21)

PK

3

THESES
EX TERTIO ET
QUARTO ETHICORVM LIBRO
ARISTOTELIS AD NICOMACHVM DE
decem virtutibus moralibus earundemq; extremis
in Argentoratensium Academia ad pu-
blice disputandum proposita.

Præfide
IOANNE LVDOVICO
HAVVENREVTERO D.

Respondente
Martino Suenck Oenipontano Tyrolensi.
Mense Martio.



Argentorati excudebat Antonius Bertramus.

M. D. XC.

Johann Ludwig Havenvater

NOBILISSIMIS, PIETATE,
PRVDENTIA, VIRTUTE, VITAEQVE
sanctimonia integerrimis viris Rheinhardo &
Ioanni Gualthero à Gemmingen:

ET

IOANNI PHILIPPO RABANO ET
Conrado à Liebenstein fratribus germanis Dominis
suis omni honore dignissimis

Hasc

*De decem virtutibus moralibus ex tertio & quarto
Ethicorum libro Aristotelis à se con-
scriptas Theses.*

In studiorum suorum testimonium
& perpetuæ obseruantiae signum
DD.

Martinus Suuenck Ocnipontanus Tyrolensis.

THESES ETHICAE EX TERTIO
& quarto libro Ethicorum Aristotelis.

I.

Cum doctrina Ethica benè beateq; viuendi rationē præscribat
in quibus beatitudo ea consistat, sciendum est.

II.

Continetur autem illa in virtutis actione perfecta constantiq;

III.

Virtus vero est, ut Aristoteles definit, ἔξις προαιρετικὴ
ἐν μεσότητι ἕσασ τῆ πρὸς ἡμᾶς ὠρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος
ὀρίσασε.

IIII.

Qua cum bipartita sit, moralis & intellectualis, nos hac
prætermissa de illa nunc eiusdemq; speciebus ijs, quæ in tertio &
quarto Aristotelis Ethicorum libro discutiuntur, paucius
agemus.

V.

Qua, quia mores conformat propriè ἠθικὴ appellata est.

VI.

Ei subiectæ virtutes multæ sunt, quarum prima fortitudo Cap. VI.
mediocritas est in rebus terrorem vel fiduciam adferentibus
occupata.

VII.

Quoniam vero multa sunt, quæ metuimus, eaq; mala
omnia non, eodem tamen modo, circa hæc versatur fortitudo.

VIII.

Sunt enim quedam quæ vir fortis timeat oportet, ut igno-
miniosa omnia: quedam si metuat turpe ipsi est, cuiusmodi sunt
paupertas, morbus, & deniq; omnia ea, quæ neq; ex malita pro-
ueniunt, neq; à se ipso quis perficit.

IX.

Quoniam vero virtutis maximè proprium est, versari
circa difficilima, ideo fortitudo etiam circa eius modi versabi-

A 2

tur

zur malum, quod reliquorum omnium maximum sit, quo terribilius aliud non sit vllum.

X.

Tale vero quia mors est, ut pote quae rebus cunctis finem adfert: in ea recte perferenda ipsam occupatam esse colligitur.

XI.

Neq; tamen in cuiusq; generis morte obeunda versatur fortis sed ea tantum, quae in maximo & pulcherrimo periculo oppetitur.

XII.

Maxima autem & pulcherrima mors est, quae in bello solet euenire, & propterea vir fortis, eam tanquam sibi gloriosam, magis expetit.

XIII.

Ex quo constat eum proprie fortem dici, qui cum in morte honesta oppetenda, tum perferendis ijs, quae mortem repente adferunt metu vacat.

XIIII.

Caput. VII. Non enim vno eodemq; modo omnibus omnia sunt formidabilia.

XV.

Alia enim homines prestare non possunt, quae qui sanamente praediti sunt, pertimescant oportet, ut sunt in ditia ira diuina: in quibus fortitudo nullum habet locum.

XVI.

Alia vero homines prestare possunt, quae intensione & remissione animis praebent fiduciam, & in his omnis fortitudinis vis consistit.

XVII.

Quae ipsa tamen vir fortis, quatenus homo est, pertimescit, quia vero ista omnia pro dignitate rerum, & ut recta ratio precipit, honesti causa perfert, viri fortis nomen meretur.

XVIII.

Nam quemadmodum caterarum actionum finis est, id quod
cum:

cum animi habitu, congruit: ita etiam viro forti fortitudo honesta videtur, tanquam finis, cum qua res sine suo terminetur.

XIX.

Fortitudinis duo sunt extrema: in excessu unum, quod ἄρρατος audacia appellatur, cui cognata est ἀφοβία metus vacuitas: alterum in defectu quod δειλία timiditas & ignavia dicitur.

XX.

Qui peccant in excessu, primum in adeundis periculis obnimiam precipitantiam, videntur quidem fortes, cum vero ad periculum peruentum fuerit, statim resiliunt.

XXI.

In defectu qui peccant, spe & fiducia, cum nihil aggredi audeant, carent: intermedij vero censendi ij, qui ante periculum non clamosi, sed tardi, in ipsis autem periculis acres & vehementes sunt, qui ideo etiam vitæ suæ, modo laude aliquid dignum efficere queant non parcunt.

XXII.

Fortitudinis quinque sunt aliæ species: quarum prima πολιτικὴ Caput. VIII.
ἢ νομικὴ, civilis & legalis appellatur.

XXIII.

Quia enim leges à singulis civibus, ut honorum communium fruitionem, sic periculorum etiam perpeffionem requirunt: que qui subeunt honoris amore, strenui & fortes: qui vero formidine pænæ ignavi potius appellandi sunt.

XXIII.

Qui vero non honestatis gratia munus suum peragunt, fortes etiam dicendi non erunt: nam vera fortitudo, non necessitatis sed honestatis causa suscipitur.

XXV.

Altera species ab experientia proficiscitur, quod ea homines plerumque ad suscipiendum aliquid animosiores reddantur.

XXVI.

Secundum quam tamen ipsam alij alijs fortiores ratione usus armorum existunt.

Quoniam:

XXVII.

Quoniam vero & hi cognito periculo de fuga sibi consulunt, non tam dedecus, quam mortem pertimescentes, in fortium numero haberi non debent.

XXVIII.

Tertia species fortitudinis ira est, quod ea incitati homines tanquam beluae quibusuis se obijciant periculis.

XXIX.

Veruntamen quia omnis virtus non ex affectibus profici scitur & animi quodam impetu, ideo etiam haec ipsa species fortitudo dicenda non est, alioqui & beluae & voluptarii qui affectibus maxime rapiuntur, fortes dicerentur quod absurdum.

XXX.

Quarta species nominatur ἀνδρεία δὴ τὴν ἐλπίδα fortitudo propter spem: nam spes hominum erigit animos ut pericula adire ausint: quia vero & hi non honesti gratia, sed spe talia praestant, fortes dicendi non sunt.

XXXI.

Veri enim fortes in repentinis terroribus, magis quam prouisis metu perturbationeque vacant; quoniam subito, quae accidunt mala dextere perferre, ex habitu: quae ante vero prouisa sunt, pericula subire ex consilio quodam deliberato prouenire videntur.

XXXII.

Quinta species ἀγνοία τῶν κινδύων est, ex ignoratione periculorum profecta.

XXXIII.

Hec fortitudo, non admodum laudabilis est, quia nihil in se dignitatis habet, & tamen aliquandiu permanet. Nam qui ea praediti sunt, si aliter eueniat, quam suspicati sint, fugam ambiunt.

XXXIII.

Cap. IX.

Licet vero fortitudo circa metum & audaciam versetur, magis tamen circa terribilia occupata est.

XXXV.

Nam qui in his perturbationibus vacant, & in eis ita, ut dece

*Decet sunt affecti, illi merito fortes iudicantur, cum à perferendis
acerbis fortitudo denominata videatur.*

XXXVI.

*Et quanquam cum molestia coniuncta est, tamen finis eius
minimè est iniucundus.*

XXXVII.

*Subit, enim vir fortis pericula atq; mortem, quia facere
id honestum est, aut omittere dedecorosum.*

XXXVIII.

*Dolet tamen, quodammodo mortem fortis, quatenus vita
dignus, in qua pluribus posset prodesse, sed nihilominus tamen for-
tis est, quatenus animo magno mortem contemnit, eamq; hone-
statis salutisq; publicæ ergò perfert.*

XXXIX.

*Sunt enim virtutum actiones omnes in se molestæ: si vero
finem consecuta suam fuerint, existunt iucundæ.*

XXXX.

*Qui vero vitam suam exigua mercedis gratia, prostitu-
unt, aut non verum illum fortitudinis finem, qui honestas est
respiciunt, sed aliud aliquid spectant, fortes appellandi non sunt.*

XXXI.

*Post fortitudinem non incommode sequitur temperantia,
cum hæc virtus uti superior, propria partium rationis expertium
sit.* Cap. X.

XXXII.

*Est autem temperantia virtus medium tenens in expetens-
dis voluptatibus fugiendisq; doloribus.*

XXXIII.

*Quoniam vero non unum genus voluptatum est, in qui-
bus ea versetur, inquirendum est.*

XXXIII.

*Aliæ namq; corporis sunt voluptates, aliæ animi: quia vero
nemo propter has temperans aut intemperans proprie nomina-
tur, ideo circa has etiam non versabitur.*

A 4.

Enim.

XXXV.

Enimvero quia & ipse corporis voluptates multae sunt, ut
quae ex auditu odoratu atq; visu percipiuntur: atq; ex his nemo
nisi improprie intemperans appelletur: gustus solum & tactus
voluptates temperantia moderabitur.

XXXVI.

Quae quia homini cum reliquis animalibus communes sunt,
beluinae haec & seruales dictae sunt.

XXXVII.

Quoniam vero paululum gustatu aut nihil uti videntur in-
temperantes: eas moderabitur voluptates temperans, quae tactu
percipiuntur, easq; non quasuis sed eas solum, quae gulae sunt atq;
veneris.

XXXVIII.

Cap. XI. Cum ex superioribus constet posse aliquem propter volup-
tates temperantem aut intemperantem dici: sequitur etiam
propter cupiditates, qualis enim voluptas, talis etiam eius est cu-
piditas.

XXXIX.

Sunt autem cupiditates aliae naturales, & communes omnibus
animantibus, aliae aduenticiae & propriae certis animantibus.

I.

Ac circa naturales quidem cupiditates, quarum aliae ad con-
servationem individui, aliae ad procreationem speciei pertinent,
non admodum peccatur, aut si peccatur à paucis, idq; uno saltem
modo peccatur, nempe nimio.

II.

Nam natura saltem expletionem eius quod deest expetit, qui
autem naturam multitudine obruunt γαστήρ μαργοί, in propri-
um ventrem seuire dicuntur.

LII.

Circa proprias vero cupiditates varijs à plerisque solet peccari
modis, aut ijs rebus gaudendo quibus non conuenit, vel plusquam
debet, vel ut vulgus, vel ut non debet, vel non ea parte qua debet.

Atq;

LIII.

Atq; qui in his modum excedunt intemperantes appellantur: qui vero modum tenent temperantes dicuntur.

LIIII.

Quoniam vero & circa dolorem occupantur temperans atq; intemperans non eodem tamen modo, in eo cum viro forti versari ipsos putandum est, ferendo scilicet dolorem vel non ferendo: sed intemperans quidem quod sibi voluptate carendum sit, discrutatur: temperans vero nec voluptatis absentiam molestè fert, nec abstinendum sibi ab ea esse dolet.

LV.

Temperantia duo sunt extrema, unū in excessu quod ἀκολασία intemperantia dicitur, quæ exuperantia est voluptatum, ideoq; vituperanda: alterum in defectu quod quia rarum improprio vocabulo ἀναδυσία, quæ sensuum vacuitas, seu immanitas appellata est.

Caput.
XII.

Intemperantia quia magis spontanea quam timiditas est, quod illa ex voluptate, quæ natura nostræ grata, hæc ex dolore quæ naturæ aduersatur, proueniat, ideo etiam ipsa deterius vitium est quam timiditas.

LVII.

Hinc intemperantia vulgo ἀκολασία dicta est, vocabulo sumpto ab impunita puerorum licentia & peruersitate.

LVIII.

Quemadmodum enim pueri maximè secundum affectus & cupiditates viuere consueverunt, & ad quæuis flagitia sine ratione feruntur, nisi suorum præceptorum præscriptioni obediant: ita etiam intemperantes omnibus cupiditatibus prauis subiacent & ad quæuis voluptates abripiuntur, nisi imperio rationis regantur.

LIX.

Quocirca intemperante ea pars animi quæ cupiditatum est sedes rationi congrua sit, necesse est, ut nil nisi quod ratio recta præscribit, & quando, quoq; modo appetat.

B

Tempe-

Caput
libri.
quarti
primū.

LX.

Temperantiā non in commode liberalitas secundum Aristotelem consequitur.

LXI.

Est vero ipsa mediocritas circa pecunias vel dandas vel accipiendas occupata.

LXII.

Pecunia autem nomine quae à Grecis $\chi\epsilon\mu\alpha\tau\alpha\sigma\tau\epsilon\pi\delta\tau\eta\varsigma$ $\chi\epsilon\mu\alpha\tau\omega\sigma$ appellata sunt, ea intelliguntur, quorum aestimatio nummo fieri solet.

LXIII.

Et quanquam liberalitatis officium sit dare & accipere: potius tamen indando eius vis quam accipiendo cernitur.

LXIII.

In dando autem tria potissimum spectanda sunt, finis propter quem, qui honestas est, modus dandi, qui in observatione circumstantiarum personae loci, & temporis, qualitatis item ratione & quantitatis consistit: animus dantis, ut libenter & in cunctanter det.

LXV.

Ita enim det necesse est, ut dignis, ut quemadmodum opes patiantur, ne maior benignitas ipsis sit opibus, ut talia quae alijs profint, ut ubi decet & honestum est, ut denique opportunè det, qui enim citò dat bis dare dicitur.

LXVI.

Non enim is, qui sine discrimine quibuslibet & ultra opes elargitur, aut quae alijs magis obsint, dat: maius inde aliquid commodum sperat, aut de alienis, aut ubi non decet & honestum est, vel necessitas requirit, expendit, liberalis dicitur, sed potius ostentator ac prodigus censendus.

LXVII.

Liberalis etiam est, dando valde excellere, ut minora sibi relinquat & non sui respectum habeat.

Praterea

LXVIII.

Præterea in accipiendo non sit nimium procax, aut in petendo importunus & molestus.

LXIX.

Vnde fit ut difficulter liberales ditescant, cum nec ad accipiendum nec ad bona sua conseruanda sint compositi, sed ad largiendum parati, nec pecunias propter seipsas magni estimant sed donandi gratia.

LXX.

Atq; propter hanc ipsam causam, se quoq; in re pecuniaria sumptuue socium præbet facilem, iniuriam hac in re ferre nouit.

LXXI.

Qui enim magis etiam dolebit, si quid, quod oportuit, non expenderit, quasi quid quod non oportuit, insumpserit.

LXXII.

Consistit vero liberalitas non in beneficiorum multitudine magnitudineq; sed in facultatū modo ac ratione, dantisq; animo & voluntate.

LXXIII.

Existit in hac virtute sicut in prioribus etiam, peccatum seu vitium geminum: vnum in excessu quod ἀσωτία prodigalitas appellatur: alterum in defectu quod ἀνεδωβεία illiberalitas seu auaritia dicitur: quorum illud in donando modum excedit hoc in accipiendo.

LXXIIII.

Ac illud quidem ab Aristotele propterea ἀσωτία dictum esse putatur: quod hoc vitio laborantes facultates suas non seruant, atq; hoc modo se ipsos perdant, quod ex ijs omnis vita nostra sustentetur.

LXXV.

Quorum tria omnino sunt genera: vnum eorum qui tantum in suis proprijs opibus profundendis excedunt modum: alterum eorum, qui omnibus suis bonis decoctis, aliorum etiam bonis insidiantur: tertium deniq; genus eorum est, qui suas facultates, in luxum tantum & voluptates conuertunt.

B ij

Sunt

LXXVI.

Sunt tamen hi ipsi avaris seu illiberalibus multò meliores primum quidem, quod facilius sanari possunt, deinde quod ad liberales propius accedunt: tertio quod prodigi profusione sua alijs profunt avarus nemini, ne sibi quidem.

LXXVII.

Sunt vero avarorum, sicut & superiorum tria precipue genera, unum eorum, quia sicè τὴν ἐπιείκειαν ἐν τοῦ φόβου parci videri cupiunt, nominantur φειδῶλοι, γλιχσοί, κίμβικες. Alterum genus eorum est, qui aliorum bona, quoquo modo in honesto ad se rapiunt, ac propterea, ἀεχρονεῖδ᾽ αἰς dicti sunt. Tertium eorum est, qui utrumq; peccant, ideoq; ὀλοκλινοί vocantur.

LXXVIII.

Cap. II. Liberalitatem rectè sequitur magnificentia, quod idem cum ea habeat obiectum, pecuniam videlicet resq; similes.

LXXIX.

Differunt quidem, quod non circa eam versantur eodem modo: Magnificencia enim sicuti nomen ipsum indicat circa pecunias sumptusq; magnos: liberalitas vero circa parvas vel mediocres occupata est.

LXXX.

Est autem Magnificus scienti similis, propterea quoniam rationem decori habet, sumptusq; magnos, pro ut decet, facit, ita ut quemadmodum sumptus sunt magni, eiuscemodi sunt opera & econtra: & haec omnia quod virtutis est proprium honesti causa & libenter atq; largiter.

LXXXI.

Non igitur omnes, cum sumptus magnos, virtus hac requirat, magnifici esse possunt, sed illi solum qui illustri excelsoq; loco nati sunt & quibus facultates suppetunt.

LXXXII.

Quod si idem facere attentant ij qui humili obscuroq; loco orti sunt, stolidi potius quam magnifici censendi sunt.

Confert

LXXXIII.

Confert autem magnificus sumptus vel in res priuatas, ut sit in nuptijs resq; similes, vel in publicas easq; vel sacras, ut quæ ad Deum & religionem pertinent, vel personas, ut qui sumptus in publicum totius alicuius ciuitatis commodum impenduntur.

LXXXIII.

Præterea in vnaquaq; re etiam in suo genere exigua & abiecta, magnificus virtutem suam declarare & magnificè aliquid facere dicitur, quando pulchrum illud & elegans quod requiritur obseruarit.

LXXXV.

Solet tamen circa magnificentiam duobus etiam peccari modis, aut in excessu, quod vitium ἀπαγορεύει inticia honesti ineptitudo, item βαυωοία inepta splendoris affectatio dicitur: aut in defectu quod vitium μίγγοπεπία sordiditas siue intempestiua parsimonia vocatur.

LXXXVI.

Licet vero hæc extrema, quatenus à mediocritate recedunt, vitiosa sint, nihil tamen opprobrij adferunt, quoniam per ea vicinus nihil detrimenti capere solet.

LXXXVII.

Cum de magnificentia sit actum, nunc de magnanimitate quæ Cap. III dam inquirere, non in conueniens fuerit.

LXXXVIII.

Hæc namq; mediocritatem in magnis petendis accipiendisq; honoribus seruat.

LXXXIX.

Et quia nihil refert de habitune, an habitu prædito agatur, eum vere magnanimum appellabimus, qui magnis sese dignum esse, cum talis sit existimat, qui autem se paruis dignum censet, modesti potius quam magnanimi nomē meretur, quod magnanimitas in magnitudine, proinde ac pulchritudo in magno corpore eminere velle putetur.

B 3

Quoniam

XC.

Quoniam maius vero nihil est, inter externa bona honore, ut
pote quo ipse Deus afficitur, in eo ut oportet versabitur, atq; etiam
in ignominia tum accipienda tum perferenda.

XCI.

Id verum sic esse vel hinc patet, quod honor ijs precipue tri-
buitur qui in aliqua sunt constituti dignitate, ideoq; premium
virtutis esse putatur.

XCII.

Quia vero in rebus humanis nihil est prestantius virtute, me-
rito id maximum etiam bonum esse, quod premium virtutis sta-
tuitur oportet.

XCIII.

Cum iam manifestum sit magnanimum eum dici, qui maxi-
mo bono nempe honore dignum se esse censet, quoniam talis reuera
est, etiam vir optimus sit oportet, siquidem semper maiori honore
dignus vel maximo etiam optimus quisq; iure creditur.

XCIII.

Atq; hanc ipsam ob causam, quia in unaquaq; virtute, magna
nimus quod magnū est spectat, ideo magnanimitas reliquarum
virtutum ornamentum quoddam censetur.

XCV.

Hinc etiam fit, ut licet Magnanimus ob honores à bonis sibi
exhibitis mediocriter letetur, eos tamen, qui à vulgo ei deferun-
tur repudiet.

CXVI.

Porro in diuitijs Magnanimus & fortuna tam prospera, quam
aduersa moderatum se geret & constantem, ita ut neq; in prospe-
ris nimia letitia efferatur, neq; in aduersis tristitia frangatur.

XCVII.

Et quanquam ipsa hæ fortuna prosperitates aliquid ad mag-
nanimitatem conferre videantur, quatenus ijs quibus adsunt, ex-
cellentiores alijs existunt, tamen absq; virtute non possunt reuera
homini aliquid dignitatis aut honoris adferre, cum difficulter si-
ne virtute prosperos quisquam rerum successus moderate ferat.

Circa

XCVIII.

Circa fortitudinē verò ita se gerit Magnanimus, ut non incōsideratē in quavis sese pericula conyiciat, sed tamen obiciat se magnis honestis ac talibus, in quibus magni quid prestare se posse sperat.

XCIX.

In liberalitate quoq; exercenda magnanimus sese talem praebebit, ut alacri quidem animo det, atq; maturē: in accipiendo verò cunctator existat, in petendo modestus, in remunerando largus, operam dans sedulo, ut plus quam acceperit, retribuatur.

C.

Ac ut summatim complectamur omnia, reuera magnanimus talis est, ut in omni vita sua nullius opē aut vix desideret, alijs promptē ministret, praestet se erga eos, qui in dignitate aliqua constituti sunt magnum, erga mediocres, mediocrem, in negotijs celeribus magnisq; obeundis tardus sit, apertē tam odium quā amorem pra se ferat, sit veritatis amans atq; syncerus, liber in loquendo, non dissimulator, qui vulgo placere cupiat, quod servile: non admirator, non iniuriarum memor, non laudator, neq; obrectator, non in inimicos, nisi obcontumeliam maledicus, non querulus de rebus parvis, aut minimē necessarijs, magis amās honestatis quā utilitatis, sua sorte contentus, voce grauis, oratione constans & equabilis.

CI.

Magnanimitatis duo sunt extrema: in defectu unum quod iungo & vix pusillanimitas dicitur: alterum in excessu quod, & vōtus elatio animi siue fastus appellatur.

CII.

Ac licet hi, qui medium ultra transgrediuntur aberrent, non tamen propterea malos ipsos esse, statuendum est.

CIII.

Atq; illi quidem, qui in defectu delinquunt, honoribus quibus digni sunt se spoliant, se ipsos enim ignorant, & ob hanc animi demissionem pigri ad res gerendas efficiuntur: qui vero in excessu peccāt stolidi appellantur, quia plus sibi tribuūt, & maiora quā

B. 4

perficere,

perficere, possunt, agrediuntur, ob vestitium etiam splendidum, prosperumque fortunæ successum quari propterea maioribus digni sunt, de prædicari ab alijs cupiunt.

CIIII.

Ac quanquam utrumque hoc extremum medio sit oppositum, magis tamen $\mu\iota\kappa\rho\sigma\ \psi\upsilon\chi\iota\alpha$ magnanimitati quam $\chi\alpha\upsilon\nu\omicron\tau\eta\varsigma$ aduersatur.

CV.

Caput. III. Quemadmodum magnificentia circa magnos sumptus faciendo occupata, cum liberalitate, quæ in paruis consistit, aliquam cognationem habet: ita magnanimitati aliqua ex parte cognata modestia est, quod utraq; circa honores: hæc autem, circa paruos, illa vero circa magnos versetur.

CVI.

Et autem in dando & accipiendo mediocritas laudatur, ita etiam honorem, non magis aut minus quam oportet, & unde oportet, & ut oportet affectare, laudabile est.

CVII.

Quemadmodum vero η vituperantur, qui magis quam oportet, & ubi non oportet honores expetunt, sic nec abiecti, eo quod ne honestè quidem honorari cupiunt, reprehensione carent.

CVIII.

Virtutis vero huius quæ $\gamma\rho\alpha\iota\varsigma$ $\alpha\upsilon\omega\nu\nu\mu\omicron\varsigma$ est, duo sunt itidem extrema: unum in excessu $\phi\iota\lambda\omicron\sigma\upsilon\mu\iota\alpha$ ambitio: alterum in defectu $\alpha\phi\iota\lambda\omicron\sigma\upsilon\mu\iota\alpha$ contemptus honorum minus dicitur.

CIX.

Cap. V. Quæ ipsa tamen extrema nonnunquam de loco medijs continent, propterea quod medium certo nomine destituitur.

CX.

Hanc in honoribus modestiam rectè sequitur virtus illa, quæ iram moderans $\pi\rho\alpha\omicron\tau\eta\varsigma$ dicitur, quæ quia etiam nomine caret itidem ex extremis definitio eius colligi debet, quod nimirum mediocritatem seruet in ira atque vindicta.

CXI.

Qua qui præditus est, mansuetus dicitur, ac quia non modo & quando

ob ea, ob qua & quibus & quomodo & quando & quam diu oportet, irascitur: sed à perturbationibus etiam est liber, atq; ad ignoscendum promptior quàm ad ulciscendum existit, laudari meritis debet.

CXII.

Qui verò succensent ijs, quibus non oportet, & ob qua non oportet, & citius atq; diutius quam oportet, & magis quam oportet vituperandi omnino sunt, qui verò ad omnia conuiuent, stolidi potius atq; seruales quam mites appellandi sunt.

CXIII.

Vnde constat & huius virtutis duo extrema esse, unum in excessu quod ὀργιλότης iracundia, qua quis grauius quàm decet irascitur: alterum in defectu quod ἀργυσία ira vacuitas siue lentitudo vocatur: magis tamen prius extremum hoc, medio est oppositum.

CXIII.

Priore namq; vitio laborantes sunt triplices, quorum alij dicuntur ἀκρόχολοι excandescetes, qui subito quidem, & quacunq; de causa irascuntur, citò tamen iram deponunt: alteri ὠκροὶ amarulenti morosi acerbè & grauiter irascentes, nec iram facile remittentes, nisi ultionem reddiderint. Tertium genus eorum est, qui χαλεποὶ difficiles, asperi & pertinaces seu atroces dicuntur, qui omnino sine ultione non placantur.

CXV.

Cap. VI.

Sunt verò præterea etiam alie virtutes, qua in congressibus & sermonum & negotiorum communione maximè necessariae sunt, ideò ὀμιλιτικαὶ conuersatrices dictae, quarum prima comitas mediocritas est circa sermonum & negotiorum communicationem atq; conuictum occupata.

CXVI.

Quanquam autè hac virtus certo nomine nõ exprimat, quia tamè amicitia aliquo modo cognata est, propterea quod hac virtute præditi, amicos facile nanciscantur, à philosophis dicta est φιλία.

C

Verum

CXVII.

Verum in hoc ab amicis discriminantur, quod sine affectu charitatis in eos, quibus cum versantur, existunt, & pariter erga notos & ignotos familiares & externos animati sunt, honestumq; & utile spectant, inhonestum verò atq; damnum repudiant veletiam auertunt.

CXVIII.

Huius virtutis extrema sunt itidem duo: Vnum in excessu quod ἀρεσκία placendi studium, quod simile adulationi: alterum in defectu quod δυσκολία morositas, & hoc vitium sane ineptum est, ad hominum animos conciliandos.

CXIX.

At differt vir comis ab adulatore in hoc, quod comis alijs sua conuersatione non est molestus: rationem habet honesti & utilis, improbat quae improbanda, quae probanda probat, non omnibus placere studet, reprehendit ea quae reprehendenda licet cum aliorum molestia: habet etiam rationem personarum, ac quod singulis conuenit, tribuit: non priuatum commodum querit, nec tam praesentem iucunditatem considerat, quam ea quae inde possunt euenire, ac consequi: in his omnibus contrario se habet modo adulator.

CXX.

Ca. VII. Postquam de prima conuersationis virtute actum est, iam de altera quae Graecis ἀνώνυμος Latinis veritas dici queat, inquirendum erit.

CXXI.

Ea autem est mediocritas, circa sermones, actiones & simulationem occupata.

CXXII.

Qui igitur tales se in vita & oratione praebent, ut neque maiora quam habent, neque minora alicuius rei causa sibi vendicant, virtute hac praediti esse, laudabilesque videntur.

CXXIII.

Qui enim in actionibus verax est & aequus alia potius virtute

tute

tute iustitia nempe præditus esse statuitur: qui vero & actu & oratione integer est, ubi nihil eiusmodi refert, præsentis virtutis propria habet.

CXXIII.

Huic opponitur mendacium quod duobus perpetratur modis vel nimium extollendo, vel nimium extenuando.

CXXV.

Vnde duo existunt extrema: in excessu unum quod ἀλαζωνία iactantia: alterum in defectu, quod ἐργωμία dissimulatio dicitur.

CXXVI.

Priore vitio qui correpti sunt falso plura & maiora quam habent inesse sibi venditant, atq; ideò vani & sædi dicti sunt: Posteriori qui laborant, in studio ea, quæ ipsis adsunt, dissimulant, ideòq; versi pelles censendi sunt.

CXXVII.

Ex his autem duobus extremis iactantia tanquam mendacio affinium ironia deterior est, cum hæc modestia alicuius sit significatio, illa non item: attamen utrumq; quatenus à medio recedit vitiosum.

CXXVIII.

Reliqua est virtus, cuius usus non ut superiorum duarum in Ca. VIII dictis factisq; serijs, sed in vita otiosa rebusq; ludicris consistit.

CXXIX.

Quæ Græcis ἐὺλογαλία, urbanitas latinis dicta, mediocritatem servat in facetijs tum perferendis, tum percipiendis.

CXXX.

Constat itaq; & hic excessum quendam esse atq; defectum: quorum hic rusticitatis, ille scurrilitatis nomen obtinuit.

CXXXI.

Nam qui ludicro modum excedunt, scurra potius & impertinens dicendi sunt, quam elegantes atq; ingenui.

CXXXII.

Vt enim risum moueant, & turpia proferunt, & nec sibi nec alijs parcunt.

Quæ

CXXXIII.

Qui autem verè faceti sunt, sibi ipsis quasi lex sunt, eaq; dicunt qua hominem ingenuum proferre decet, & audientem non contristant, vel etiam oblectant.

CXXXIII.

Qui verò nec ipsi quicquam eleganter & iocose proferre sciunt, nec alios talia dicentes, ferre possunt, agrestes & duri appellandi sunt.

CXXXV.

Cap.IX. Quoniam verò verecundia custos quaedam virtutum est, non incōgruum fuerit, si de ea paucula quaedam sub virtutum harum finem hoc loco attingamus.

CXXXVI.

Qua quia affectui similior est, quam habitui, timor quidem infamia ab Aristotele definitur.

CXXXVII.

Vnde constat non tam eam viris ac senibus conuenire, quam pueris atq; iuuenibus.

CXXXVIII.

Non enim illos factorum suorum, sicubi boni non haberi modo, sed esse etiam reuera, velint pœnitere pudereue decet.

CXXXIX.


Hos verò, quia ex affectu, multa delinquunt, verecundos dicere prohibet, tales namq; iuuenes laudamus.


CXL.

Peccatur autem circa hunc quoq; affectum duobis modis. Vno in excessu qui ἀναξυβλία dicitur: altero in defectu qui φόβος stupor, vel pudor quidam subrusticus appellatur.

FINIS.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



S E S

TIO ET

CORVM LIBRO

NICOMACHVM DE

is carundemq; extremis

Academia ad pu-

m proposita.

ide

VDOVICO

UTERO D.

ente

ipontano Tyrolensi.

artio.

Antonius Bertramus.

XC.

